51939
25876/P

DIVINA ANNUENTE PROVIDENTIA!

JOH. GODOFREDI GRUHLMANNI,

MEDICINÆ DOCTORIS ET PRACTICI

SPECIMEN MEDICUM

De

NÓVO

CONTRA

OCULORUM CALIGINEM

REMEDIO tanquam SPECIFICO,

HERNIARIA ſc. OCULARIA,

publicum in uſum

editum.

JENÆ,
Sumptibus HENRICI CHRISTOPHORI CRÖKERI, Bibliopol. & Chalcogr.
TYPIS GOLLNERIANIS.
ANNO 1706.

S. P. D.

ILLUSTRI ATQVE GRATIOSISSIMO COLLEGIO MEDICO IN ALMA SALANA,

VIRIS MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ATQVE EXPERIENTISSIMIS,

DN. RUDOLFFO GVILIELMO CRAUSIO,

Hæreditario in Mellingen/
Phil. & Med. Doctori, Prax. ac Chym. Prof. Publ. celeberrimo, Facultatis ſuæ Seniori, h. t. Decano, & Academ N. C. Collegæ Gravisſimo,

DN. GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO, SEN.

Hæreditario in Schwartza/
Med. Doctori, Comiti Palatino Cæſareo, Conſiliario & Archiatro Ducali Saxonico egregiè merito, & Theoret. Prof. Publ. Ordinario famigeratisſimo,

ut &

DN. IO. HADRIANO SLEVOGTIO,

Hæreditario in Ober-Roßla/
Med. Doctori, Anat. Chir. & Botan. Prof. Publ. celeberrimo & Medico Ducali Provinciali gravisſimo,

nec non

DN. ERNESTO HENRICO VVEDELIO, JUN.

Phil. & Med. Doctori hujusque Prof. Publ. extraordinario, Medico Provinciali Saxo-Vinarienſi civitatisque Jenenſis Phyſico meritisſimo,

Dominis Patronis ac Fautoribus ſuis maximis,
levisſimas has lineas in honoris teſtimonium,
Laborumque ſuorum commendationem,

D. D. D.

humillimus

Joh. Godofredus Gruhlmannus, D.

Prooemium.

QVàm præſtantiſſima L. B. inter SENSORIA | EXTERNA OCULORUM ſit dignitas, exinde ſatis abundeque apparet, quod ipſi ad creatoris noſtri cognitionem permultum faciant, cœlique ornatum pulcherrimum, ac ſtupendam cœleſtium motuum varietatem aſpiciant, inque iis omnipotens majeſtas & ſapientiſſima artificis bonitas in ſpeculo ceu limpidiſſimo repræſentetur. Propterea VISVS præ reliquis ſenſibus PRÆROGATIVAM ne ullus quidem facilè in dubium vocabit, niſi qui ἀῤῥωςίᾳ mentis laboret. Nam ſicuti SOLIS LUNÆQUE ſplendor in MACROCOSMO; ſic & OCULORUM LUX in MICROCOSMO eſt utiliſſima, hincque maximo encomio nunquam ſatis deprædicanda, confirmante Tobæi cæci experientia, qui ſenior angelo ad hilaritatem animanti reſpondit; non eſſe, quod læto ſit animo, cum hoc cœli jucundiſſimo lumine ſibi indigendum ſit. Et à Galeno perhibetur, Adrianum Imperatorem, ſervo, cui ſuccenſuerat, extirpâſſe oculum, & poſtmodum pœnitentiâ ductum optio-

nem permiſiſſe illi rogandi à ſe quicquid vellet; ſervum vero multis compellationibus adactum reſponſum demum dediſſe: ſe nihil tam expetere, quàm ut ademtum reſtituat oculum: damnum ejus nullâ æquari donatione. Quia vero literatorum lucubrationes oculorum aciem valdè hebetant, nec parum auxilii viſus hebetudini acuendæ certæ quædam ferunt herbæ:

Herbis; non verbis Medicorum eſt, pellere morbos.

non poſſum non ex optimis optimam eligere reliquisque anteponere herbam. Quippe juxta tritum illud ex Schol. Salern. de chelidonia cap. LXXI. p. 305.

Cæcatis pullis hâc lumina mater hirundo,
(Plinius ut ſcripſit) quamvis ſint eruta, reddit.

Si igitur tantæ ſub hâc herba, teſtante Plinio, *lateant vires, noli mirari, ſi & in alia puta OCULARIA MEA pares, ne dicam plures invenerim & obſervaverim; et enim dici vix poteſt, quanta virtute, quantisque VISUM CONFORTANDI viribus prædita ſit HERNIARIA. NOVUM itaque OCULORUM CALIGINOSORUM EXPERIMENTUM RATIONALE; nimirum HERNIARIAM ab effectu OCULARIAM dicendam hic tecum communicare ſummè neceſſarium eſſe duco, præſertim cùm nemo Autorum, quòd ſciam, iſtam ipſam herbam HOC in CASU unquam adhibuerit, tantum abeſt, ut quis de SINGULARI ejus virtute OPHTHALMICA ſcripſerit, ut potius omnes ac ſinguli eam ſilentio prætérierint. Hacce proinde accuratiori mentis trutinâ perpen-*

pendens, nullus planè dubito, quin medelam jam nominatam non RATIONIBUS *tantùm fundatam, ſed* OBSERVATIONIBUS *quoque comprobatam* SENIBUS *æquè ac* JUVENIBUS VISIONEM *lectione ſcriptorum ſubtiliore charactere impreſſorum diu noctuque* DEBILITANTIBUS, *inſigniter commendem. Prius tamen quàm hunc laborem incipiam, in anteceſſum præmittendus ac conſiderandus occurrit* AFFECTUS; *Ita enim* REMEDIUM *eò expeditius me explicaturum certo certius confido.* SUPREMUS ARCHIATER, *quemadmodum aliis meis conatibus ex alto clementer benedixit; ſic etiam his gratiam ſuam immenſam non denegabit, cujus benignam opem devotiſſimis imploro precibus. De cætero ut mea qualia qualia cœpta æquam bonamque in partem interpreteris B. L. ea, qua decet obſervantia & humanitate oro, obſecro atque obteſtor.*

Cap. I.

De OCULORUM CALIGINE.

§ I.

ADmiranda OCULI fabrica præter COMMUNIA & EXTERNA, ex PROPRIIS & INTERNIS ipſum OCULUM eleganter conſtituentibus partibus, nempe ſeptem tunicis, tribus humoribus & uno nervo conſtat. Tunicæ principales ſunt CORNEA, UVEA & RETINA, minùs principales & ceu propagines illarum, ADNATA, INNOMINATA, CRYSTALLOIDES & VITREA; Humores dicuntur AQVEUS, CRYSTALLINUS & VITREUS, atque nervus audit OPTICUS aut VISORIUS,

§. II. Deinde in VISIONE VISIBILIUM ſpecierum radii per oculi PUPILLAM ac CORNEAM in humorem AQVEUM, CRYSTALLINUM & VITREUM incidunt, adque tunicam usque RETINAM, quæ medullaris nervi OPTICI expanſio eſt, penetrant. RETINA demum tunica objecta VISIBILIA recepta ſpiritibusque VISIVIS per nervum OPTICUM impreſſa ſpeculi inſtar repræſentat.

§. III. OCULORUM CALIGO, eſt immi-

minuta viſio, ſi eorum acies imminuatur, nullumque notabile in oculo vitium conſpiciatur, denotatque illam viſus diminutionem, quæ citra manifeſtam oculorum alterationem accidit. Hocce malum *ſenibus* non clarè videntibus, ubi quid humores & tunicæ exſiccatæ ſunt, eſt familiare, atque appellatur Græcis ἀμβλυωπία, Lat. HEBETUDO VISUS, ſi *juvenes* obſcurè videant, & vernacula noſtrâ **ein blöde und dunckel Geſichte / oder die Blödigkeit und Dunckelheit der Augen.**

§. IV. AMBLYOPIA eſt oculorum hebetatio & videndi debilitas absque ulla manifeſta in oculorum affectione, cujus ſpecies ſunt NYCTALOPIA vel NOCTURNA CÆCITAS, & MYOPIA ſeu LUSCOSITAS. DIFFERT ab AMAVROSI ſolo gradu majore, quod vitium VISUS OBSCURITAS dicitur, eſtque perfectum cernendi impedimentum ſine notabili cauſa obortum. Sumitur tamen quandoque pro abolita viſione, quæ vocatur GUTTA SERENA & CÆCITAS TOTALIS, eaque eſt totius lucis in oculo extinctio in acutis morbis contingens: ſi nervi optici non ex parte, ſed ex TOTO comprimantur, ſpiritusque viſorii deficiant, aut minùs copiosè in oculos ferantur. Alia inter ea DIFFERENTIA eſt illa viſus interceptio, quæ à corpore quodam opaco intra corneam tunicam, & cryſtallinum humorem interpoſito or-

tum habet, utpote cui peculiare hoc nomen CATARACTA impoſitum fuit.

§. V. CALIGINIS CAUSA dependet à SPIRITUUM viſivorum AFFLUXU ad nervos opticos IMPEDITO; IMPEDITUR autem ille ab impuris ſpiritibus non rectâ in oculos fluentibus, quando ſcilicet HUMORUM VISCIDITAS, pituita & craſſities vel ſtagnatio aut DEFECTUS opticorum NERVORUM tubulos OBSTRUIT, comprimit vel exſiccat. Pariter ſpirituum DEFICIENTIUM per nervos influxus DENEGATUR à nimio veneris abuſu, refrigeratione & LUCUBRATIONIBUS, item à lachrymarum profuſione, nec non crebriore ignis flammæ aſpectu, ut & à ſcabie interdum retropulſa. Nam è capite vitioſis & viſcidis humoribus repleto una cum ſpiritibus animalibus in nervos influentibus non paucæ ex CRASSIORIBUS particulæ intrant nervoſa principia, eaque adeò oppilant, ut ſpiritus animales vix liberè tranſeant, hincque OCULORUM HEBETUDO oriatur.

§. VI. DIAGNOSIN ejus quod attinet, diſcernitur OCULORUM CALIGO à VISUS OBSCURITATE, ita ut in illa INCIPIENS debilitas; in hac autem PERFECTA cæcitas obſervetur; In utraque verò affectuum ſpecie vix ac ne vix quidem ullum manifeſtum oculorum vitium cernitur, ſed oculi ſunt clari, pupilla apparet integra ac

pla-

planè pūra, in SUFFUSIONE namque pupilla immutata, eaque turbida conſpicitur. Non tamen adeò curatè certeque viſu dignoſcitur morbus, licet oculi ſtudiosè inſpiciantur, ubi in nervo viſorio obſtructo, ſicque conſequenter in ſpirituum viſivorum affluxu inhibito viſum lædendi cauſa hæret. Optimè ex iis cognoſci poteſt, ſi NERVI optici OBSTRUCTIO, itaque SPIRITUUM DEFECTUS in culpa ſit, viſio LÆSA SUBITO; ſin autem malum ab aliis cauſis §. antecedenti dictis dependeat, PAULATIM progignitur.

§. VII. In PROGNOSI probè notandum, quantô frequentior deprehenditur, tanto curatu DIFFICILIOR eſt OCULORUM CALIGO. Quæ ex SENECTUTE, ſpirituumque in oculo defectu producitur viſus debilitas, inprimis, ſi TOTALIS viſionis abolitio adſit, vix aut tamen RARISSIME curationem admittit, niſi à REMEDIO *mox recenſituro* NOVO quodammodo ſalus ſperanda. Idem PROGNOSTICUM eſto de illa, quæ ex ſpirituum viſivorum influxu denegato oritur, dum nervus opticus ab humore crasſiore pertinaciter fuit obſtructus. VISUS OBSCURITAS poſt mala diuturna tolerata in JUVENIBUS PAULATIM ortum ſumens tantò FACILIUS, quantò DIFFICILIUS, cùm SENIBUS propter capitis contuſionem SUBITO accidat, removetur. DIFFICILLIMA denique

 ob-

obſervatur læſorum nervorum curatio, & quidem eo, quòd ordinatus ſpirituum animalium affluxus inhibeatur.

§. VIII. CURATIONIS totius cardo cùm in VISCIDORUM ac CRASSORUM humorum CORRECTIONE, ſicque nervorum OBSTRUCTORUM APERTIONE, tùm in ſpirituum INFLUENTIUM PROMOTIONE & DEFICIENTIUM RESTITUTIONE conſiſtit. Pro quo ſcopo obtinendo requiruntur INDICATIONUM præſidia ex fonte vel PHARMACEVTICO, vel CHIRURGICO vel DIÆTETICO depromenda.

§. IX. In THERAPEIA ergo à PHARMACIA inchoanda ad PITUITOSOS CRASSOSQUE humores EMENDANDOS, itaque ad ſpirituum influxum denegatum removendum eorumque defectum reſtituendum, præmisſis præmittendis, nimirum PRÆPARANTIBUS & EVACUANTIBUS, optimè conveniunt INCIDENTIA & RESOLVENTIA NERVINA cum ANALEPTICIS & HUMECTANTIBUS, ex regno tùm VEGETABILI, tùm ANIMALI, tùm etiam MINERALI deſumenda. Omnem abſolvunt paginam medicamenta OPHTHALMICA, ὀξυδερκικὰ dicta, h. e. viſionis aciem promoventia & roborantia, hincque non minùs INTERNE quàm EXTERNE inſigni cum euphoria adhibita, qualia ſunt: HERB. HERNIARIÆ, CHELIDON. MAJ. EUPHRAS. RUT.

VERBEN, HYSSOP. FLOR. RORISM. ROSAR. ALB. CYAN. CALEND. SEM. FOENIC. SILER. MONT. RAD. VALERIAN. CALAM. AROM. HELEN. NUC. MOSCH. CUBEB. CARYOPH. NIHIL. ALB. TUT. PRÆP. & CAMPHORA: Ex quibus pro cauſarum & circumſtantiarum varietate varia v. g. TRAG. ESSENT. INFUS. vel DECOCT. & COLLYR. parari remedia non nequeunt, quorum FORMULAS vide apud *Sennertum Lib. I. Part. III. Sect. II. cap. XXXVIII. & XLIV. p. 879. & 892. ad 897.*

§. X. PRIMAS itaque ex VEGETABILIBUS haud immeritò tenet HERNIARIA videlicet ob egregium effectum OCULARIA nominanda, quanquam aliis congruis & appropriatis vires ac fidem minùs derogare cupio. Siquidem hæc ipſa à nonnullis Autoribus maximo nobis opere ſunt commendata, ſummaque cum utilitate ægris propinata. Omnibus tamen remediis palmam præripit HERBA HERNIARIÆ vel ſub forma PULVERIS aut ESSENTIÆ data, ad quam in OCULORUM CALIGINE tanquam ſacram anhoram confugiendum; Quamvis ea HOC in MORBO à nemine Autorum, qui vixêrunt, & ad hodiernum usque diem vivunt, quod ſciam, in uſum eſt vocata tantùm abeſt, ut ab ullo unquam in ſolem prolata, ut potius de hac penes Medicos practicos altum fuerit ſilentium.

§. XI. Nam conſtat non ſolùm ex OBSERVATIONE MULTA LONGAQUE EXPERIENTIA con-

firmata, (cujus EXEMPLA notabilia *infra cap. ſeq.* traditurus ſum) maximè proficuum eſſe, ſed & PROBABILI SOLIDAQUE nititur RATIONE. Quandoquidem hæc planta particulis TERREIS & ACRIBUS conſtans, ac SAPORE gaudens ACRI (prout ex ACCURATA ejus EXAMINATIONE percipi poteſt,) præter alias vires, VIM etiam VENTRICULI aliarumque partium CRUDITATEM, PITUITAM & mucilaginem DIGERENDI, INCIDENDI & alterandi inſignem obtinet. Eam ob cauſam mediante hâc humores VISCIDIORES & CRASSIORES, utpote nervos opticos obſidentes & occupantes & per conſequens ſpirituum affluxum impedientes RESOLVI poſſunt.

§. XII. ALTERUM obtinet locum RADIX VALERIANÆ, cujus PULVERIS *Vir ſummè Reverendus Dn. Dr. Birnbaumius, ante hâc eccleſiæ grimmanæ, nunc primislavienſis ad D. Mar. Paſtor & Inſpector meritisſimus*, ſingulis vel alternis matutinis pro OCULORUM HEBETUDINE ACUENDA, quantum cultri cuſpide tollere potuit in cochleari AQUÆ SIMPLICIS non ſine ſingulari effectu ſumpſit. OPHTHALMICUM enim eſt egregium & ſine pari, teſtante *Tabernæmontano in herbario p. 456.* Plurimùmque fœtore ejusdem juxta *Excellentisſ. Dn. Dr. Rivinum* cum FOENICULO vel ANGELICA correctô, ad viſum ſenum pariter ac juvenum imbecillem acuendum, a-

mis-

miſſumque minuſculis literis & ſcriptis legendis recuperandum hæc RADIX in ESSENTIA, DECOCTO vel *infuſo* aſſumta confert.

§. XIII. Præter hæc in OCULORUM CALIGINE VISUSQUE imbecillitate pro uſu INTERNO valdè commendant: *Arnoldus* VINUM EUPHRAGIATUM, *Bauhinus in theatr. botan. Tom.3.p.198.* AQUAM RUTACEAM, *Rivinus jam laudatus* DECOCTUM VERBENÆ, *Bartholet in Encyclopæd. p.171.* SEM. FOENICULI, *Paulini membr. ſec. c.1.p.254.* NUCEM MOSCHATAM, *Timæus L.1. caſ. 25. p. 57.* ELECTUARIUM OPHTHALMICUM, *Hartmannus in Pr. chymiatr. p.56. & Mynſicht arm. chym. S. XIX. p. 297.* AQUAS OCULARES INTERNAS, *Crato L. VII. conſ. 64. p. 443.* PULVEREM, *Michaël in colleg. ad Jonſton. Prax. p. 155.* ESSENTIAM OPHTHALMICAM, *Hoffmann in theſ. pharm. p.7.* AQUAM OCULAREM INTERNAM, & Denique *Fraundörffer in Tab. Smar. Med. Ph. n.537, p.309.* TRAGEAM OPHTHALMICAM SCRETA.

§. XIV. EXTERNE autem in OPHTHALMIA miris laudibus extollunt TOPICA: ut *Sennertus in Pr. L.1. P.3. ſ.2. c.12. p806.* LIQUOREM FLORUM CYANI, *Bauhinus in Th. bot, T.3, p.103,* AQUAM FLOR. CALENDULÆ DESTILL. *Matthiolus cap. CLXXVI. p. 428, & Marcus Med. Rom. lib. 2. c. 56.* SUCCUM CHELIDONII MAJ. *Riolanus in curat. morb. oculor. c. de hypop. p. 876.* HYSSOPUM in VINO coctum &

NODU-

NODULO incluſum, *Camerarius in hort. ſuo noric.* PLANTAGINEM CONTUSAM, *Quercetanus in Pharm. reſt. l. 1. c. 7. n. 129.* AQUAM SUAM OPHTHALMICAM ex INFUS. CROC. METALL. C. AQ. EUPHRAS. & FOENIC. paratam, *Timæus loc. cit.* AQUAM OPHTHALMICAM pro COLLYRIO, *Schröderus in Ph. Med. chym. l. 2. c. 37. p. 43.* AQVAM COMMUNITATIS OPHTHALMICAM, *Barbeth. in chir. c. 17. p. 208, 209.* COLLYRIUM OPHTH. ANODYNUM, *Excell.* WEDELIUS COLLYRIUM SUUM *in Compend. Prax. clin. exempl. lib. 1. caſ. XXV. p. 26. & 27. deſcriptum.* tandemque COLLYR. M. OPHTH. ex AQV. EUPHR. PLANT. CHELID. MAJ. RUT. PULEG. FL. CYAN. CALCATR. ROS. ALB. C. SIEF. ALB. S. OP. MATR. PERLAR. & TUT. concinnat. mirum in modum prodeſt.

§. XV. Cæteræ CAUSÆ OCCASIONALES haud ſecus ac illæ RECEPTIS CONVENIENTIBUS JAM MEMORATIS ſunt removendæ. His nihil proficientibus ſvadendus eſt CONSPICILLORUM uſus, ex quo aliqua levaminis ſpes adhuc affulget.

§. XVI. Ex CHIRURGIA EVACUATIONIS, REVULSIONIS & DERIVATIONIS gratia non inconſultè in uſum trahuntur VENÆSECTIO, CU-

CUR-

CURBITULÆ SCARIFICATÆ, SETACEUM, VESICATORIA & FONTICULI, FONTICULO in BRACHIO excitato nullum inter CHIRURGICA præſtantius, irritis omnibus, in OPHTHALMIA INVETERATA & LIPPITUDINE datur remedium, prout hoc *in me ipſo expertum* nunquam ſatis laudare posſum. Non minùs etiam ad viſum debilem confortandum juxta *Pernumiam L.4.de curat.arte p.52.* & cæcitatem imminentem curandam ſecundum *Paræum L.9.c.24.p.436.* excluſis non reliquis conducit SETACEUM.

§. XVII. Tandem probè obſervanda venit DIÆTA, in qua aërem eligamus TEMPERATUM PURUMQUE, cibum EUCHYMUM & EUPEPTUM, potum DEFÆCATUM, nec nimis recentem, atque ſomno & quiete DECENTER fruamur. VISUS quoque NOXIAM cane pejus & angue vitandam hic DISTINCTIM referre posſem; ſed, quia hæc in *Schol. Salern.cap. LXXVIII.p.318.* CONJUNCTIM expresſa iisdem verbis legere eſt:

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cepis, faba, lens, fletusque ſinapi,
Sol, coitusque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

ſicco nunc pede tranſiliam, & potius ad ſecundum explicandum me convertam.

Cap. II.

De HERNIARIA ſcil. OCULARIA.

§ I.

TAnta ſanè in herbis DENOMINANDIS occurrit NOMINUM LUXURIA, ut quot Autores tot nomina inveniantur; Hinc operæ pretium eſt, ut primo de ejus ORIGINE & NATURA conſideranda ſollicitus ſim. HERNIARIA eſt planta RAMULIS pluribus floſcuſis racematim diſpoſitis humi ſerpentibus, tenuibus geniculatim circumdata, FOLIA habet ex viridi-lutea, exigua, oblonga & ferè SERPILLI MINORA, FLOREMQUE fert JUNIO MONOPETALUM quinque laciniis diviſum totidemque ſtaminibus inque ſummitate apiculis luteolis ornatum. Deinde ſequitur SEMEN pumilum, compreſsè rotundum adeoque abundans, ut tota planta ſemine referta appareat, quo factum eſt, ut a *Cordo in ſua plantarum hiſtoria* MILLEGRANA nominetur.

§. II. Græcis πολύγονον ſecundum *Dioſcoridem l. 4. c. 4. p. 616.* à copioſis geniculis caules cingentibus, Latino idiomate POLYGONUM MINUS ad differentiam alterius ſpeciei, POLYGONI nempe MAJORIS *Matthiolo com. in lib. 4. Dioſc. c. 4. p. 615.* appellatur. HERBA CANCRI MINOR *Geſnero*, TURCA *Cæſalpino libb. de plantis*, & MULTIGRANA SERPILLI FOLIA *Lobelio in obſerv.* nuncupatur. Vel MILLEGRANA MAJ. *Bauhino in Pin. theatr. bot. l. 7. ſ. 5. n. 11. p. 281.* POLYSPERMON. MIN. *Moriſonio in hiſtoria oxoni-*

enſi

enſi p. 593. ET EMPETRUM *Lonicero* vocitatur. *It.* HOLLERIANA ab *Hollerio* autore, cui frequentiori in uſu fuit, nomen accepit, & HERNIARIA *Dodonæo*, ut & LITHONTRIBON *Gerhardo in Hiſtor. Plantar.* aliisque, ab effectu, ac POLYGONI genus HERNIARIA appellata *Cluſio in hiſt. rar.* vocatur. Herba itaque hæc & OCULARIA ab effectu, quem in oculorum caligine edit, præſtantisſimô jure meritoque eſt dicenda. Germanice ſalutatur: Tauſend Körner / Bruch-Stein- Harn- und Augen-Kraut.

§. III. Ejus autem GENUS duplex eſt, alterum GLABRUM alterum HIRSUTUM, utrumque in aridis, ſabuloſis & montoſis locis ordinariè CRESCIT. COPIOSISSIMA ſpontè provenit *Grimmæ* in quibusdam arenoſis & montanis locis ante *Lipſienſem* portam non procul ab agris oleribus conſitis juxta viam, inque monte ſic dicto Pockenberg extra portam à mola nomen trahentem, it. in monte *Döbenſi*. PLURIMA naſcitur in prato, quod *Mulda* alluit & vulgò vocatur Werdter / propè pagum Höffgen dictum ad vias. Ex particulis terreis & ACRIBUS hanc herbam conſtituentibus SAPOREM poſſidet ACREM; Sed omni fermè expers ODORE. PLANTA INTEGRA, quando colore viget, floreque triumphat, colligenda, & in umbra ſiccanda, SICCATA cum AQUA ejusdem DESTILLATA in officinis aſſervatur.

§. IV. VIRES HERNIARIÆ & USUM quod ſpectat: licet nemo, quod ſciam, hanc adverſus OCULORUM HEBETUDINEM in uſum duxerit; Nihilo-tamen minus ut OPHTHALMICUM omnium ferè POTENTISSIMUM certiſſimumque in OCULIS CALIGINOSIS ACUENDIS optimo cum ſucceſſu uſurpari poteſt. Atque ingenuè fatendum eſt, me nullum inveniſſe inter SIMPLICIA vegetabilia generoſius ac efficacius, quod OCULORUM CALIGINI, viſusque debilitati ab oppilatione nervorum opticorum adeoque denegato ſpirituum viſivorum influxu dependenti CITIUS TUTIUS ac JUCUNDIUS propter egregiam incidendi & reſolvendi efficaciam mederi poſſit, quô nomine etiam ut LITHONTHRYPTICUM ad renum & veſicæ calculum atterendum ab aliis commendatur.

§. V. RATIO eſt ſatis perſpecta firmaque, quod TERREIS & ACRIBUS particulis conſtet inſignem humores VISCIDOS & craſſos INCIDENDI reſolvendi & diſcutiendi virtutem habet, quâ fit, ut vel nervorum viſoriorum ab illis obſtructio, ac conſecutivè affluxûs eorum ſpirituum impeditio tollatur viſusque acuatur. ABLATA, enim CAUSA TOLLITUR & EFFECTUS.

§. VI. Id quod multis EXEMPLIS & OBSERVATIO-

VATIONIBUS illuſtrare poſſem, ſi rei neceſsitas urgeret, PAUCA ſaltem ex multis ut adducam: *B. ſenex Dn. M. Hieronymus Lotter, Prætor olim Grimmenſis oppidi, & Juris Practicus famigeratisſimus Anno 1620.* per annos ſeptem OCULI UTRIUSQUE CÆCITATE correptus ejus uſu viſui ſequenti modo reſtitutus fuit: cum *mulier quædam mendica* à dicto cæco oſtiatim victum peteret, hic ajebat; ſe velle perlibenter non nihil dare, ſi viſum non penitus amiſisſet; illa verò reſpondebat; ipſum aliquâ HERBA FOLIIS SERPILLI MINORIBUS, in monte *Döbenſi* creſcente, (cujus *mentionem ſupra jam injeci*,) ad oculos ſuos CALIGINOSOS acuendos in forma PULVERIS INTERIUS uti poſſe. Dictum factum: *cæcus ſenex*, ſubmisſis Deum adorans precibus, de die clarius videre cœpit, & elapſis aliquot ſeptimanis viſum adeo mirificè recuperavit, ut cornicem in oppoſitæ domûs tecto ſedentem per feneſtram cernere potuerit.

§. VII. Deindè *Dn. Dr. Stisſeri Halenſis relicta vidua*, quæ ex improviſo cucurbitæ in deſtillando quôdam ſpiritu fractione VISUM LÆSIT & amiſit; mediante hâc HERBA, irritis aliis rurſus eſt curata. Porrò *quidam SS. Theologiæ Profesſor hodie celeberrimus Lipſiæ & Nobilisſ. ibi Senatus Regiſterator beatæ memoriæ*, qui LECTIONE ſcriptorum SUBTILIORE charactere impresſorum VISUM PERDIDERUNT

crebriore ejus uſu eum admodum confortàrunt; item. *Dn. Gentſch, Bernburgâ, qui ab officio militari Gallicè Auditeur dicitur* OCULORUM CALIGINE laborans hâc internè uſurpata, à malo eſt liberatus.

§. VIII. Præterea plures TESTES OCULATOS ac fide dignisſimós in ſe ipſis expertos *hoc loco* allegare liceret, qui non niſi cum CONSPICILLIS legere valerent, poſteaque tamen legerunt absque ipſorum uſu, literas etiam ſubtiliores. Ex hiſce præmisſis poſtremo conſtanter concluditur, quod non RATIONEM ſolùm, ſed EXPERIENTIAM quoque pro fundamento habeat.

§. IX. Hæc itaque herba tàm in CIBIS, quàm in MEDICAMENTIS diutius ſumta ad oculorum CLARITATEM mirificè prodeſt; Alioquin conducit optimè mucilaginoſæ in ventriculo & inteſtinis retentæ VISCIDITATI, crudæque crasſitiei INCIDENDÆ & è primis viis EDUCENDÆ, HERNIIS curandis & CALCULIS atterendis ex commendatione *Borrichii de uſu plantarum. p. 41. & 54.* URINÆ ciendæ, BILI expellendæ & ICTERITIÆ demùm curandæ.

§. X. Quoad ejusdem PRÆPARATIONES & UTENDI MODUM: PULVERISETUR univerſa planta exſiccata ſubtilisſimè, miſceatur cum BUTYRO & PANE vel fruſtulum PANIS BUTYRO illitum PULVERE aſpergatur, ac manè & veſperi capiat

at in oculorum HEBETATIONE acuenda. Exinde cum SPIRITU VINI per INFUSIONEM & DIGESTIONEM extraxi ESSENTIAM, eamque eodem in affectu uti PULVEREM in JUSCULO vel AQVA ejusdem DESTILLATA ſingulis auroris ſumma cum euphoria exhibui. Vel TRAGEAM OPHTHALMICAM AD VISUS CALIGINEM, compoſitam ex hujus HERBÆ PULVERE & aliis, v. g. RAD. HELEN. HERB. VERBEN. EUPHRAS. BETON. CHELIDON. MAJ. MAJORAN. RUT. addito SACCHARO in formam TRAGEÆ redactam non ſine inſigni effectu uſurpavi.

§. XI. Dein INTERNE PULVERE ejus ex VINO hauſto ut DIURETICO non modo in SUPPRESSA urina cienda, verùm etiam in RENUM ac VESICÆ CALCULIS comminuendis pellendisque utimur; indeque ejusdem DECOCTUM cum AQVA STILLATA juxta *Cluſium* & *Camerarium* CALCULOSIS mirè opitulantur. Quin DENTIUM DOLOR COLLUTIONE ex hújus DECOCTO concinnata ſedatur, annotante *Reuſner. obſ. 44.* Adhæc valdè commendantur ad HERNIAS perfectè ſanandas ab *Hollerio* SUCCUS ex ea expresſus cum VINO RUBRO, & per novem dies propinatus, à *Valetio in exercit. in Hollerium* aliis fruſtra adhibitis, AQUA ejusdem DESTILLATA. De PLURIBUS contra ejus-

modi

modi vitium medicaminum INTERNORUM ex hâc confectis FORMULIS videri meretur *Sennert.Pr. l.3.P.2.S.1.c.6.p.127.*

§. XII. Pro uſu denique EXTERNO in HERNIA reſtituenda, inque vulnere conſolidando egregium, atque ad JECUR & ICTERUM curandum utile eſt EMPLASTRUM ex HERNIARIA recens contuſa paratum, ac eidem impoſitum, quo fit, ut vel MORSOS à VIPERA juvemus. Cæterum gratias, quas poſsum, DEO T. O. M. pro conceſsis viribus perſolvo humillimas, huicque propoſito impræſentiarum impono

F I N E M.